



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

XIII. Quod qui violentas manus in clericum iniecerit, appellans non audietur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

CAP. XIII. *Idem R. Cantuariensi archiepiscopo.*

Peruenit ad nos, quod cum presbyteri vel alii se conquerantur ab aliquibus vulneratos, vel aliter grauiter laesos & ad probandum quod assumunt, plerumque testes producant, hi qui impetuntur, ad apostolicam sedem appellant: sed appellationem interpositam prosequi, vel confortium hominum deuotare contemnunt. Vnde quia quid faciendum sit, literis nostris certiorari desideras, fraternitati tuae, &c. quatenus illos qui pro tali causa appellant, si eorum excessus publicus & notorius non sit, contradictione & appellatione cessante, ecclesiastica censura compellas, vt infra conueniens tempus ipsam appellationem interpositam prosequantur. Si vero excessus publicus sit & notorius, appellationis obtentu, si quam ad iniquitatem suam fouendam interposuerant, nullatenus praetermittas, quin eos excommunicatos denunties, sicut ex ipsa iniectioe manuum in clericum, excommunicationis sententiam incurrerunt, & ipsos sicut excommunicatos cautius facias euitari, donec passis iniuriam satisfaciant, & cum literis tuis apostolico conspectui praesentent.

CAP. XIV. *Idem archiepiscopo Toletano.*

In criminibus notoriis non est deferendum appellationi.

Consuluit nos tua fraternitas, vtrum deferendum sit appellationibus, quae super manifestis criminibus interponuntur, aut eorum appellationibus qui frustratoria dilationis causa appellant, nec appellationem prosequuntur. Super quo utique consultationi tuae taliter respondemus, quod si quando aliqui, quos manifestum sit ac notorium, uxorem alterius detinere, aut manus violentas iniecisse in clericum, appellant, nec appellationem prosequuntur, eorum appellationi non est aliquatenus deferendum. Sed cum multa dicantur notoria, quae non sunt, prouidere debes, ne quod dubium est pro notorio videaris habere. Illos autem qui appellant a praesentia tua, cogere debes infra tempus conueniens appellationem interpositam prosequi, aut iudicio tuo appellatione cessante parere.